



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 30. Alexandri Alesii Protestantis interitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. Romanus Pontifex sub Julii III. nomine electus esset, Annibalem Avenionensi Ecclesiæ præfecit, quam cum regere ipse non possiet, annuente Pio IV. Pontifice per alium administrabat. Postmodum Julio III., ac Marcello II. vita functis, cum comitia pro futuro Pontifice haberentur, binis vicibus Burgi gubernatione, & Conclavis præfectura a Sacro Cardinalium Collegio cohonestatus est. Tandem a Pio IV. ex cameræ Apostolicæ Præsidente, Referendarioque Apostolico inter Presbyteros Cardinales titulo S. Sylvestri cooptatus eodem anno, quo Purpuram induit, Mense Martio naturæ debitum solvit.

§. XXX.

Alexandri Alesii Protestantis interitus.

Thuan. l. 38. num. 5. *Tessier elog. des hommes illust.* Eodem Mense Augustanæ Confessionis Sectatores amiserant Alexandrum Ales, seu Alesium, qui anno ætatis suæ sexagesimo quinto Lipsiæ obiit. Natus is erat Edimburgi in Scotia Anno millesimo quingentesimo die vigesima tertia Aprilis: primo equidem Catholicam fidem professus, eandem contra Patritium Hamiltonum novis Lutheri erroribus seductum strenue propugnabat, cum autem hunc ad veram fidem revocare adlaboraret, ipsemet hære-

Sæcul. XVI.
A. C. 1565.

hæresis venenum incautius imbibit, unde a Præposito Ecclesiæ Metropolitanæ ad sanctum Andream, cujus erat tum Canonicus, comprehensus in carcerem conjiciebatur, verum inde postea liberatus Anno a Virginis partu millesimo quingentesimo trigesimo secundo in Germaniam auf fugit, ibidemque Lutheranæ sectæ nomen dedit: postquam vero Henricus VIII. in suo pariter Regno Religionem immutabat, Alexander in Angliam contendens Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo trigesimo quinto Londinum venit, ubi protegentibus eum Cranmero Cantuariensi Archiepiscopo, Latimero, & Thoma Cromvelo publice sectam suam disseminabat: cum autem Cranmerus Regis gratia excideret, Alexander in Germaniam reversus Francofordiæ ad Oderam ab Electore Brandeburgico Theologiæ Professor renunciabatur: anno autem millesimo quingentesimo quadragesimo Melanchtoni adhærens unacum illo propugnabat, quod Magistratus adulterium castigare possit, ac debeat: inde autem sese Lipsiam recipiens ibidem Theologiam usque ad obitus sui diem publice tradebat. Ceterum præcipua, quæ edidit, opuscula latine conscripta, erant. I. Commentarii in Evangelium sancti Lucæ, nec non

Sæcul. XVI. non in duas Epistolas Divi Pauli ad
A. C. 1565. Timotheum. II. Expositio in Psalmos
 Davidis. III. Tractatus de justificatione contra Osiandrum. IV. alius de
 Sanctissima Trinitate, unacum confutatione contra Valentinum Gentilem
 adornata. V. Responsum ad triginta
 duos Lovaniensium Theologorum articulos. Hæc omnia opera latino sermone erant elucubrata,

§. XXXI.

Turcæ Melitam obsidentes, ac profligati.

Thuan. l. 38. Cum Roma tot Cardinalium, quorum obitum nuper descripsimus, jacturam deploraret, interea Turcæ cum tanto armorum apparatu, quo major hucusque nunquam conspiciebatur, Melitam Insulam obsidebant: porro tam copiis, quam classi præerant Mustapha Bassa, necnon Dragutes Pirata: verum quamvis Turcæ desperationis rabie incensi frequentes admodum incursum facerent, nihilominus Equites incredibili fortitudine cunctos eorum impetus eludebant, unde tertio obsidionis Mense, Dragute occiso, ac desideratis plusquam ducentis turcarum millibus Mustapha obsidionem solvere cogebatur, cum haud amplius pugnando par esset, etsi suppetiæ, quas Hispaniæ Rex sub-

mise-